MONUMENTA GRATIARUM EXCELLENTISSIMÆ LUCENSIUM REIP. PRO DIUI CASSII…

Ottavio Avio

Digitized by Google

Digitized by Google

1103 . 12

Digitized by Google

MONVMENTA GRATIARVM EXCELLENTISSIMÆ LVCENSIVM REIP. PRO DIVI CASSII RELIQVIIS NARNIÆ LIBERALITER CONCESSIS

OCTAVIVS AVIVS NARNIAE EPISCOPVS
D. D. D.



Romæ, Typis Ignatij de Laz. 1680. Superiorum Permiſſu.

ILLVSTRISSIMIS, ET EXCELLENTISS. DOMINIS

OCTAVIVS AVIVS FELICITATEM.

DOnata Caſsij cineribus, & reſtituta ſibi per eos Narnia gemino commouebatur affectu gratitudinis, & gaudij. Gaudio geſtiebat ex dono, quod ſpei vltra limites penè poſitum obtinuiſſe vix credit cum vix auderet ſperare. Gratitudine in te donantem Luca ferebatur, quæ votorum audaciam dono abſoluens liberali, innocentem declaraſti. Vtrinque igitur ſtimulata arripuit hilaris calamum, & vt eſſe ſolet legum impatiens lætitia Scriptiones multas vario ſtylo properauit, non quidem pares lætitiæ licet debitas gratitudini. Eas ipſe per manus Ciuium cum volitare viderem ratus hoc qualecumque tributum benemerenti Vrbi negari non poſſe, in hunc libellum collegi, inopis quidem ſed grati animi teſtem. Videbam ſanè in meas aliquando laudes muſas Narnienſes excurrere, & ſuſpicari poteram, ne non bene apud legentes audirem tamquàm mearum ipſe laudum vulgator. Sed cum illas ſupprimere non poſſem, quin veſtra etiàm, & Caſſij encomia reticerem, hanc mei nominis notam alienæ glo-

riæ poſt habendam putaui: Cum præſertim facilè depræhendatur, me non quia debent, ſed quia amant Naruienſes laudare, vos, quia amant, pariter, & quia debent. Cæterum quidquid hìc laudum in magnum Antiſtitem confertur, tuas eſſe laudes puta liberalis Reſpublica, ex qua habuit, quod laudaret. Quiſquis extollit donum, donantem commendat, & magnitudo muneris menſura eſſe ſolet liberalitatis; Quando omnia erythrei maris conchilia, omnes Indorum gemmas, & quot quot vaſta mole Terrarum compræhenduntur, diuitias congeſsiſſes, non tanti illa eſſent, quanti hoc vnum immortale Cadauer, in quo viuit æternum victura magni tutela Pontificis, & magnæ Vrbis beneuolentia: Dediſti in modico Cinere magnum Theſaurum, & te largiente digniſſimum. Si qua Tibi poſt hac Natio hanc inuidebit gloriam, & imitabitur liberalitatem, Dona iſta excedentia Regnorum valorem Lucentia dona vocabuntur ea lege, qua Regna, Prouinciæ, Vrbes dona appellari ſolent Alexandri. Defuere, puto Vobis menſuræ, cum merita noſtra penderetis, quia nulla ſunt: Deſunt omninò Nobis; cum merita veſtra æſtimamus, quia maxima; Deerunt vtriſque, ſi res quàm dediſtis librabitur, quia immenſo pretij pondere Stateram excedit mortalem; Et triplicata magnitudine mirum quantum munera veſtra grandeſcunt iuſta lance pendentibus, quantum momenti habeant pauca illa verba: Donatus à Lucenſibus Narniæ Caſſius. Quid ſi addimus largiendi facilitatem? Matura amas conſilia fortunatiſſima Hetruriæ Ciuitas, quæ pulſam tot circà Vrbibus libertatem diuturno iam detines hoſpitio, vt ſperare poſſimus, Lucam, Hetruriæque Rempublicam, ſynonima æternum futura; Matura, inquam, amas conſilia, ſed tarda dona eſſe raris. Lenta ad deliberandum, ad largiendum feſtina probè noſti, præceps non eſſe conſilium, quod munificentia ſuadet; Et moræ nomen apud liberalitatem incognitum, ac barbarum eſſe. Primis cuncta lacrymis deprecantium, caſtigaſti Socordiam eorum, qui ipſa largitione auari, poſt diuturnas tantumodò preces, vendunt

po-

potius quam largiantur beneficia. Caro emit pretio Priamus Hectoris Sui Cadauer, cum regia exutus purpura, immodica auri vi; & quod auro pretioſius, ingenti copiâ regalium lacrimarum redemit ab hoſtibus materiam lacrimandi; fontem perennis letitiæ, quanto felicius impetrauit Narniâ, quæ ſemel orando exorans agnouit, nec diuitias Lucenſibus, nec beneficentiam deeſſe, qua donent Deeſſe ſolum aliquando qui petat. Nobilitatem tuam Luca, vel iiſdem cum Roma cunabulis enutritam, vel deductam à nondum nocentibus ante deſtructam Troiam Græcis munificentia probat nobilitatis collactanea. Expertus ipſe ſum comitatem Ciuium, humanitatem Procerum, beneuolentiam Senatus, cum hoſpes nuper tuus obſequijs, amore, muneribus laceſſitus ab omnibus, vix abſtinere potui quin vota mea ipſe damnarem penè dolens quod ſacri Cineris diuitias meritiſſimis Ciuibus auferrem. Rependet quidem tibi in omnem poſteritatem Caſſius hanc bene prodigam in Nos liberalitatem; ſed eum quem, iam nunc obtines fructum ne contemnas, quod nempe noua iſta munificentiæ gloria antiquas laudes tuas confirmet; vt probet, oſtendatque poſſe de te maxima multa dici, ſupra fidem, ac credulitatem aliquid dici non poſſe. Romanum militem poſtquam Cannenſi Sanguine deletum vidit nomen inuicti, tutum in te quæſiſſe præſidium, facilius credimus, ex quo timidam ſuo ſine præſule Narniam benignius, quam ſperarat excepiſti. Inuictam te ſanè Narſes expertus eſt, cum Imperatorio milite obſidere quidem diù potuit, ingredi niſi volentem non potuit, ſed nec poſſe te vinci, nec mereri liberalitas iſthæc oſtendit, per quam inimicum habere neminem vales, niſi qui oderit virtutem. Triremes Barbarorum triumphatæ naufragium ſcelerum ſuorum terris noſtris inuehere meditantes ſenſere in chriſtiana claſſe Lucenſium Naues à multitudine vulnerum, à magnitudine ſtragis, à vaſtitate ruinæ; Nempè inde agnoſcere Barbari meruerunt: Nos iudicio meliore à beneficentia Lucenſes animos æſtimamus. Longobardorum Præfectos ex te Hetruriam omnem mode-

ratos eſſe: Deſiderium eorum Regem à te petitum ad ſceptrum; In te Caium Ceſarem hibernaſſe, & cum Pompeio, Craſſoque primum adminiſtraſſe Triumuiratum: Marchiones Hetruſcos, & magnis viris aliquando maiorem Imperatorij Sanguinis, animique Methildem in te Iura populis dediſſe: Te Ludouico Imperatori, te Chriſti Seruatoris Vicario Romano Pontifici dulce non ſemel Hoſpitium aperuiſſe: Vetera, inquam, hæc decora non miramur, quando animum tuum experti ſumus: ſimiles Vobis Progenitores Veſtros fuiſſe neceſſe eſt; quoniam, vt ait ille, fortes creantur fortibus, nec imbelles progenerant Aquilas columbæ. Optimo tibi iure, dono ſuperum data eſt imago illa celeberrima vulnerati Reparatoris, maieſtate cæleſtis ſua. Digno tibi munere conceſsit natura ſalubres aquarum fontes, inter quos natat ſanitas morbos inſequens, vndisque demergens, halituque oris ambroſio vitæ diuturnitatem inſpirans: Vt quicquid Lucæ eſt ex beneficentia ſit. Iam verò inter glorias tuas orbe diffuſas vniuerſo non minima erit inter Nos ſepulchrum Caſſij. Liceat paruo magna componere, neſciebat Alphonſus Rex quid potiſſimum redderet viro, qui ſepultam in Succino expanſis muſcam alis, rarum tunc forte munus, dono dederat. Quid tibi non debet Narnia, quæ nobilem Caſſij Tumulum non vt olim inopem, & inanem, ſed ſacro plenum theſauro debet tibi? Ingrata certè fuiſſet, ſi has quas vides tumultuariò datas Antiſtitis laudes non detuliſſet ad te; ſed quantula tandem hæc eſt inæſtimabilis doni retributio? Aeternam igitur addit beneficij memoriam: Et quoties tutelam Ciuium, propulſata pericula, diſſipatas tempeſtates, vbertatem frugum, Ciuiumq; incolumitatem acceptas referet cineribus Caſſij, toties agnoſcet debere ſe Lucæ incolumitatem, & fortunas ſuas, vitam, bona, ſe ipſam. Exiguum id eſſe munus videmus, licet ſe totam Lucæ Narnia largiatur: ſed hoc veſtram exagerat liberalitatem quod in eam Vrbem munifica fuerit, quæ cum ſe dederit nihil dedit. Valete Vobis, & quæ inter Vos hoſpitantur, beneficentiæ ac libertati.

De

CARMEN.

EXoptata dies; & noſtris nuncia votis
Cognita, qua tandem populo plaudente ſonantem
Caſſius auſpicijs repetet felicibus Vrbem.
Exoriare dies, & lumine maior Eoo
Sculpe Sacris victura diù noua gaudia faſtis.
Te naſcente ſuo poterit deſiſtere curſu
Phæbus, & alipedes in pabula ſoluere bigas;
Ni tamen ille ſuos redeunti aduertere currus
Ambitioſus amet, Cinerumque auriga ſacrorum
Magna petat tanto de munere munera famæ.
O multùm memoranda dies? ò cætera quantum
Sæcla laborarunt, donec meliore metallo
Hanc parerent enixa diem? ſi priſtina damna,
Ploratæque vices rerum, victorque Philippus
Infandis olim populatus cœdibus Vrbem
Hanc nobis emere diem; iam priſtina tandem
Damna placere queunt: Quanto maiora dabuntur
Hac reddet quæ cuncta, die! Saturnia quicquid,
Quicquid, & argenti miſit fœlicius ætas
In ſe contractum properat diffundere terris.
Naſcere magna dies; Series tibi tota dierum
Aſſurgit procul, & longe veneratur euntem.
Te timidus labi, tardusque morantibus alis
Annus, & alterno partiti tempora regno
Expoſcunt omnes: tua grandia nomina menſes:
Quid roſeo te blanda ſinu Tithonia mater
Detinet, & certa crines ſub lege reponens
Rore lauat, circumque iubet formoſius ignes
Ducere, Phœbeoque pares clareſcere ſerto?
Sæpe etiam æternæ promiſit munera lucis,
Sit nondum bene compta licet Tithonia mater.
Memnonis almæ Parens cælo gratiſſima, & orbi

Prome diem, ſignare ſuo quam Caſſius optat
Nomine, quam melior veniet de nomine forma!
Hac imbuta genas, non illa nitentia monſtra
Non metuet monſtris armatum inſcendere Cælum.
Monſtra colent illam; viden vt iam bracchia curuus
Scorpius, atque aliter contraxit bracchia Cancer?
Iam neque ſeptenos anguis complexa triones
Sibilat, aut rabida latrat canis æſtifer ira:
Non toruo fremit igne leo, placidusque Bimembris
Nunc primum æmonio telum detraxit ab arcu.
Naſcere Magna dies; quid gaudia noſtra moraris?
Quid noſtros toties cunctando ludis amores?
O fallax omni veniens dum crederis hora.
Ah quoties ruptis effuſa eſt Narnia portis,
Seù rauco cecinit populis plaudentibus aere,
Seù cecinisſe animis viſa eſt cupientibus aere
Nuncia fama, venit: Spectandi cura volentem
Non ſemel, atque iterum viduauit ciuibus Vrbem.
Thura Sacris arſiſſe focis, & nube Sabea
Vidimus exundaſſe diem: certantia feſtos
Aera dedere ſonos, & ſparſæ vere recenti
Irriſere viæ ludibria credita famæ.
Ipſe noua canos Nar cinctus arundine crines
Atque humeros muſco ventura in gaudia lætus
Stare ſuas cogebat aquas, & marmure preſſo
Figere adoratis reuerentius oſcula ripis.
Nunc quoque Romuleo famulum decurrere Tybri
Denegat, & Dominæ commercia reſpuit Vrbis.
Vertere felices alio cupit ipſe meatus;
Confundique tuis Serchi Lucenſis arenis.
Naiades fama eſt illuc iuiſſe frequentes
Interea, & cupidi mandata tuliſſe parentis.
Nil moror, ò reliquos inter mihi grandior amnes
Serchi, iam propera, non vt fœlicia mergat
Culta ſuperueniens tumor, excelſisque minetur
Collibus, aut intret vicinam noxius Vrbem;

Hinc vbi parte ſui meliùs poſt funera viuit
Caſſius, & populos ingenti numine complet;
Eſte procul tumidæ lymphis creſcentibus iræ.
Et quàm hilaris Baccho; tàm ſplendeat aurea culmis
Vrbs Cereri dilecta, ſimul dilecta lyeo;
Seruiat vſque ſibi, & nulli violabilis hoſti
Magna ferat media bellorum proemia pace.
Mœnia perpetuis quæ ſerchi perfluis vndis
Lambere da tantum, & Romæ, Tyberique negatum
Lictoribus deuolue tuis vectigal aquarum.
Ohſi parte ſui noſtris vbi Caſſius Vndis
Viſus erit, propterque tuos gratiſſima muros
Narnia felices dedero diſcurrere riuos
O mihi ſi liceat magnæ ſuccedere Lucæ;
Atque iterum noſter tibi Caſſi defluat Amnis;
Non pigeat ſummos iterare per ardua lapſus
Saxa, nouoque iterum frangi per culmina caſu.

Ad Vrnam Diui CASSII

Narnia Vota, & querela

ELEGIA.

VRna redi, quid lenta diù mea vota moraris?
Vt properes, voto lentior vrna redis.
Vt vincas leuitate Notos, & curſibus auras,
Tardior eſt votis aura, Notusque meis.
Oſcula iam videor gelido dare feruida ſaxo;
Oh ſacer à noſtro ſerueat igne cinis.
Vrna pios equidem, ſed non bene rapta per hoſtes;
Et procul Hetruſcas vecta rapina plagas,
Oh quoties ad te noſtri tibi nuncia luctus;
Singultus, dixi, turba volucris eant!
Vrna refer; venere tuum mea nuncia limen?
An quò diuertit turba volucris iter?

Oſcu-

Oſculaque, & gemitus, & verba vicaria noſtri
  Ad te tradebam ſæpe ferenda Notis:
Vrna refer; merita officio ne gratia deſit,
  An commiſſa tibi verba tulere Noti?
Certe ego multa lego impreſſi veſtigia labri,
  Te ſuper, attritamque oſcula plura notant.
Quis ſcit, an hæc Eurus noſtro tibi nomine preſſit?
  Quis ſcit, an iſta tui ſint Note ſigna labri?
Dicebam; cineres mihi debes Præſulis vrna;
  Vrna mihi debes exulis oſſa Patris.
Et recolens; raptos templorum è ſede vetuſta
  Inueterem Diuos ſæpe rediſſe locum,
Lauretumque recens, Zephyris ſudantibus, actam
  Nazaręis ædem ſe rapuiſſe iugis:
Ah ego dicebam, nunc hæc exempla ſecutus
  Caſſius externo iam parat ire ſolo.
Eole ſubde Notos, oneris tibi creditur vrna,
  Fac repetat patriam nobile pondus humum.
Selige de populo, qui curſu præſtet, & alis,
  Vt citius referas, tu magis Eure places.
Si patriam ignoras, ò ſæpe vocate querelis,
  Ne quò flectat iter, tu Note ductor eris:
At Borea, & nebulis iter, & pigro aere purga,
  Vt ſecet aerias molliter vrna vias.
Sed modo non faciles ſpes vana illudit amantes;
  Somnia non vltra fingimus; vrna redis.
O quantum mutata tamen, diuerſaque ab illa,
  Quæ quondam Luca cum rapereris, eras?
Ibas in longum noſtris deducta querelis,
  Ipſaque ſum tecum Narnia viſa rapi;
Raptaque ſum tecum, nec enim periura ſpopondi
  Tecum perpetuos viuere iuncta dies.
Fida Sacramentum dixi; Si Narnia buſtis
  Separor his, anima ſeparer ipſa mea.
Separator à buſtis, anima quoque ſeparor ipſa;
  Te meliore mei parte ſecuta procul:

Et meminiſſe potes tibi iam prope limen eunti
  Pauca hæc ſupremum verba præiſſe, vale:
Vrnula claude ſacro tecum mea corda ſepulcro,
  Vtque damus iunctos hic duo, redde duos.
Commune exilium, par ſit fortuna duobus:
  Vel ſit vterque exul, vel ſit vterque redux:
Cumque quid vrna geris? te forte rogauerit hoſpes:
  Caſſius hic refer, & Narnia iuncta iacent.
Incola dum Lucæ fueras, fui & incola Lucæ,
  Exul eras patria, Patria, & exul eram.
Tu poſtliminio tandem mihi redderis vrna,
  Sum poſt limino reddita, & ipſa mihi;
Quæque mihi abſtuleras eadem mea gaudia reddis,
  Dummodo ſic reddas, vel rapuiſſe placet.
Quingentis ignoſco annis, ignoſco repulſæ,
  Ignoſco lacrymis, quo cinis empte venis.
Quam bene dilatum penſatur munere tempus,
  Merces æterni digna laboris eras.
Iam valeant ſuperi, noſtris deſueſcite votis
  Nil vltra quod vos Narnia poſcat habet.
Quicquid ab orato potuiſſem euincere Cælo
  Hoc vno indulto munere, credo datum.
Suſpiciat Cælum, Cæli cui munera deſunt;
  Sufficiet votis Præſulis vrna meis.
Oh tibi perpetuò liceat contingere tactu,
  Oſſaque in amplexu poſſe fouere tuo.
Hoc mihi non licuit patriæ, fælicior eſſem
  Si potiùs patria Præſulis vrna forem.
Vrna tamen poſt hæc eadem quæ Patria ſtabit,
  Narnia complexu non rapienda tuo.

Vota

Vota Narniæ repoſcentis cineres Diui CASSII

ELEGIA.

O Patriæ lacrymantis honos, & gloria Caſſi,
O nimis in lacrymas fertilis vrna meas.
Quando tuus veniet cupientis ad oſcula puluis,
Quando cinis fletus, me lacrymante, bibet?
Præſulis infelix, cur fraudor honore Sepulcri
Nec mea de tumulo pendula vota cadunt?
Sæpe nec admotis mihi carpitur vrna labellis,
Nec datur ad cineres indoluiſſe meos?
Bis raperis Patriæ, te mors prædatur, & hoſtis,
Nec mihi crudelis, ſed pius hoſtis obeſt.
Ah quoties, dixi, cum thure caleret acerra,
Arderetque tua pulſa repulſa manu:
Et Sacer ante aras tunicatus honore litares,
Cingeret, & canas Infula ritè comas;
Quos viuus, meritos licet, indignaris honores,
Condita non fugies cum teget oſſa lapis.
Munera tunc longo lacrymarum fœnore ſoluam
Ante tuos multa cum prece nixa pedes.
Vrentur pia dona focis, pretioſa ſabæi
Damna ſoli, ſupplex, quæ tibi mittet Arabs.
Heu dolor? heu nimium fueram mihi credula vates
Non ſua, quis credat? poſſidet oſſa locus.
Ah peregrina meum, cur non mea? te tegit vrna;
Hæc tandem, par eſt, det tibi terra rogum.
Ah quoties metui ne quo rapereris ab Oſtro,
Nam Vaticano Murice dignus eras.
Et colles timui peteres cum ſæpè Quirinos,
Clauderet, heu reduci ne tibi Roma vias.
Deſeris exanimis terram, quam viuus amaſti:
Ne tua permaneam quod mihi crimen obeſt?
Religio mihi culpa fuit, Victoria crimen;
Heu Pietas? Pietas in mea damna furit.

An

An leuis hoſtis erat Gallus, niſi iungeret in me
Bellica Francigenæ claſſica Luca tubæ?
Diripuit Lucenſis Opes, & amabile pignus,
Eruta cum Victrix ipſana pompa tulit.
Danda tamen venia eſt: Veniam meruiſſe fatemur,
Quippe pios hoſtes par quoque præda decet.
Quando erit illa dies, terras, qua fama per omnes
Præuia, perque aures, te veniente, fluet?
Quando moræ dulces, & longus ab agmine puluis;
Aut quando populi vox erit vna, redit?
Si rediturus abes, quæ te tam ſera morantur
Sæcula, tam longas, nunc age, rumpe moras.
Sentiat illa tuum, quod, te iam ſoſpite, ſenſit
Terra patrocinium, ſi finis ipſe, tua.
Ah fateor? pectus tetigit generoſa Cupido;
Arſit amor pompas vincere, Roma, tuas.
Regali vincar faſtu, vinceris amore;
Et fauor in cultu paupere diues erit.
Roma ſuos habeat; nam gratior ipſe triumphus,
Et pretioſa magis tu mihi pompa, redi.

Narnia Gratulatio; dum ſibi Diui CASSII Sacri Cineres à Lucenſibus reſtituuntur.

ELEGIA.

AVdiuere dij iactatas aſtra querelas;
Iam referunt placidos in mea vota dies,
Aſpicis? innubi nouus emicat æthere Titan,
Et promit radio ſplendidiore iubar.
Quin & odoratos ver cautibus afflat honores,
Incultamque nouo flore colorat humum.
Hunc memini ceciniſſe diem mihi Naridos vndam,
Garrula cum noſtros lamberet amne ſinus.
Hunc fore, quo longis iam dudum debita votis
Maternos repetant Præſulis oſſa ſinus.

Tunc mihi purpureo pubeſcant gramine cautes,
Flnctuet in pingui meſſe ſuperbus ager.
Roſcida montanis ſudent opobalſama ſaxis,
Sibilet hibernis mo llior aura iugis.
Quin & nectareos ſtillent mihi ſydera rores,
Nar quoque nectareo flumine voluat aquas.
Euenere; redit Tuſca mihi Caſſius vrbe,
Amplexuſque petunt pignora cara meos.
Vos mihi, vos verno pubeſcite gramine cautes,
Palleat aurata meſſe ſuperbus ager.
Paſſim nectarei niteant per gramina rores,
Ventilet, & noſtros mollior aura ſinus.
Narnia nunc felix; luctus abſtergite ciues,
Sat fuſas oculis Nar bibit auctus aquas.
Cernitis vt vultu per florea rura recenti
Cloris odoratas ſponte remittit opes?
Ite agite, & lætos ſertis intexite flores,
Pendeat & madidis texta corolla comis.
Præſulis ad reditum, date thura calentibus aris,
Fumet, & aſſyrijs pinguis acerra focis.
Mugiat excuſſus feſtis terroribus æther,
Lætaque fulmineis iactibus æra tonent.
Tu quoque Sulphuream Nar tandem oblite Mephitim
Purior argento lata per arua fluas.
Tu mihi tu raptos memini, ſolatos amores
Spe reditus, miſeræ dulce leuamen eras.
Sæpe etiam dixi; curſum Nar flecte per agros,
Qua meus Hetruſco Caſſius orbe iacet.
Hic quoties cari lambes dum Præſulis vrnam
Patrius, hæc, dices, oſcula mittit amor:
Mittit amor, reditumque per oſcula miſſa precatur;
Ah tua te reuocat Narnia, Diue redi.
Talibus hæc nuper ripæ gemuere querelis,
Pulſaque luctificos reddidit vnda ſonos.
Ite aliò queſtus; ad gaudia currite Nimphæ,
Et tremnla plauſus voce ſuſurret aqua.

Ecce mihi cari qua Præſulis oſſa teguntur,
Iam volat in noſtros vrna beata ſinus.
Vrna veni, tibi læta ſinus, tibi brachia pandit
Narnia, & ah longas increpat vſque moras.
Sic tibi gemmiferas rubro legat æquore conchas
Doris Erythræi doris alumna maris.
Sic tibi flauenti ſpumet Pactolus arena,
Palleat aurifero decolor amne Tagus.
Sic premat Heſperias populata Peruuia claſſes,
Et gemat inſueto pondere preſſa Thetis.
Fallor, & optatum damno; Tibi ſcilicet vni
Maior ab exiguo puluere venit honos.
Puluere ab exiguo, ſed quem nec Lydius auro
Vincat, & auriferi diues arena Tagi.
O te felicem, tua ſi bona noueris Vrna;
Non poteras cultu ſplendidiore frui.
Ne tamen inſcripta titulum tibi fronte recuſes;
Quem legat ignoto quis quis ab Orbe venit.
Hic iacet ille Cinis, qui, cum male Narnia ceſſit
In prædam, meruit ſolus ab hoſte rapi.

S. Iuuenalis Epiſcopus Narnienſis gratias Lucenſibus agit ob Diuum C A S S I V M *reſtitutum.*

E L E G I A.

THuſcorum Lucenſis honos, & fama Senatus,
Sub quo Libertas aurea ſceptra rotat.
Moribus exuperas longe miracula famæ,
Nomine narraris clarior ipſe tuo.
Diuitijs, ſed plus, fateor, virtute ſuperbis,
Compoſitas virtus nempe coronat opes.
Hos nouit, ceciniteque graui Nar murmure mores;
Lucenſi quamuis Nar procul vrbe fluat.
Conſenſere duæ iurato fœdere Gentes,
Cæſaque gens populis vna duobus erat.

Sci-

Scilicet hinc Gallum metuebat Narnia Martem,
Quæque bibit Rhodanum, plebs ſitiebat opes.
Hinc grauis vrgebat Lucenſis mœnia ferro,
Quamque ferox armis; tam pius hoſtis erat.
Vrbs ruit; & fractis populantur limina portis;
Diuitias victi præmia victor habet.
Te nec ſacra fames auri, nec auara libido
Sed Patriæ carpſit Religionis amor.
Buſta petit miles, ſacrum fit præda cadauer;
Depopulando piam, quis neget eſſe manum?
Quæ tibi tum Pietas, cum thura accendis ad aras,
Si tanta eſt, crepitans cum tuba bella tonat?
Quod pius abſtuleras, ignoſcit Narnia crimen,
At ſi reſtituas, gloria crimen erit.
Redde patrocinium, fletu quod ſupplice poſcit,
Vocis enim lacrymæ pondus, & inſtar habent.
At tibi, penſari Pietas ſi munere poſſit;
Ipſa ſuo Pietas munere munus erit.
Perpetuum foueat venerabilis aula Senatum,
Et patrio viuat libera iure domus.
Aurea pacatos teneat concordia Ciues;
Sollicitata dolis horreat arma manus.
Claſſica nec profugus trepida bibat aure colonus;
Nec cataphractus agros depopuletur eques.
Culta venenatos nec ſentiat aeris hauſtus,
Et ſegetem pluuio cum Ioue terra ferat.
Prœmia ſupplicibus votis tibi plura precarer,
At bona quam poſſim poſcere, plura tenes.

Narniæ ſuſpiria ad Diuum CASSIVM *abſentem.*

NAr vbi Romanæ feſtinus ad oſcula ripæ
Ex alto pauidas eiaculatur aquas;
Narnia retractans, vetus immedicabile vulnus,
Sic pia prærepti Præſulis oſſa dolet.

Caſſi

Caſſi cur Patria cara eſt magis extera tellus?
  Nulli quam Patriæ, carior eſse potes.
Aſpicis vt longo ſquallcſcam Narnia voto,
  Et deſiderio macerer icta tui,
Tu tamen haud reditu feſſos ſolaris amores,
  Teque tenet noſtro Luca ſuperba malo.
Heu quid agam? quæ cauſa meis conatibus obſtat?
  Quid vetat has vllum pondus habere preces?
Forſan ibi multo populi veneratus honore
  Lætus agis, Patriæ, nec memor ipſe tuæ.
Allectumque pio cultu, turbaqúe clientum
  Auroque, & donis te mihi Luca rapit?
O ſacris addicta minus ſit Luca ſepulcris.
  (Forſitan hæc votis eſt via certa meis)
Non ſit qui ſupplex tua limina proterat hoſpes,
  Nec qui præteriens inſonet, ara faue.
Deſueſcas votis, dediſcas Diue vocari.
  Atque tuos numeret nulla tabella reos.
Oblitusque alijs mihi ſis venerabilis vni.
  Et tua longæuo ſqualleat vrna ſitu.
Quid loquor? ah demens temeraria corrigo vota,
  Vel cauſas luctus, cogor amare, mei.
Sis felix vbicumque ſacrum ſeruabere buſtum,
  Vtcumque hæc reditus ſit tibi cauſa moræ;
Vix tibi adorantum templum ſatis explicet vndas,
  Trita peregrinis ſplendeat vrna labris.
Plurimus ad tumulum dotatò lychnus in auro
  Excubet, & cenſus penſilis ignis edat.
Pancheæque tibi ſudent thymiamata ſiluæ,
  Et vectigalis nutriat Hybla faces.
At redeas, Patriæque, tui ne commoda præfer,
  Ne qua ſua mihi ſit gens pietate nocens.
Te ciues, te templa vocant, aræque repóſcunt;
  Quæque vacat cineri te vocat vrna tuo.
Sæpe mihi Nimphæ, Nar ipſe, vrbesque ſorores,
  Præſulis obijciunt rapta ſepulcra mei.

Scilicet hæc dicunt, tantis eſt gratia factis,
Vt per quem viuis Narnia abeſſe ſinas?
Heu pudet ingratam quamuis ſine crimine dici,
Diluere hoc reditu tu potes ipſe probrum,
Cumque dies feſtiua aderit tibi Sacra quotannis,
Illa dies nobis cauſa pudoris adeſt.
Currimus ad vacuas aras, & inania buſta,
Et vidua abſceſſu facta ſepulcra tuo.
Quid niſi flere licet? ſubeunt felicia quondam
Tempora, cum cinerum Narnia compos eram.
O quantis mihi tunc ridebas comptibus vrna,
Depoſiti cuſtos heù male fida tui.
Aſpera tunc gemmis diſtinctáque diuite bacca,
Totaque Erythrea grandine ſparſa comas.
Bellula gaudebas nitido tortoque ſub auro
Marmoreum penitus poſſe latere caput.
Nunc quoties ad te varijs comptura corollis
Accedo, cultus reſpuis vrna meos.
Indignansque, inquis, non ſunt hæc luctibus apta,
Nec viduam cultus, qui fuit ante, decet
Et ſapis; Etruſcis ex quo cinis exulat oris,
Nulla vnquam nobis riſit amica dies.
Optaui quoties gentis Regina Sabinæ
Eſſe ſuburbani pars ego Luca tui.
Heù mihi qui faciles reſeras orantibus aures,
Cur Patriæ ſurda negligis aure preces?
Nec lacrymæ, nec pondus habent ſuſpiria cordis;
Fleuimus heu longum, nec tamen ipſe redis.
Dicebam mihi, pone metus, ſcis Præſulis artes,
Flexilis eſt precibus, Narnia pone metus.
Dicebat Nar, e lacrymis cum turgidus iret,
Cereus eſt lacrymis, Narnia pone metus.
Flexilis at precibus, lacrymis, & cereus, vni.
Saxeus es precibus, marmoreus lacrymis.
Quæ procul hinc tibi dum fruſtrà iactamus: ad aras
Forte aliquis modò ſtans aduena vota facit,

Vtque tuum exoret numen, male credulus, optans
  Se cupit adſcriptum ciuibus eſſe tuis.
O mihi ſis, qualis caris vel ciuibus eſſes
  Sis mitis dicit, mitis vt hiſce, fores.
Hoſpes ſiſte preces, & crednla vota retracta,
  Ne tibi ſit, qualis ciuibus ille foret.
Si tamen iſte ſui damnabitur aduena voti,
  Caſſi te talem conuenit eſſe meis.
Per Patriæ commune ſolum, venerandaque ciuis
  Nomina te ciues, te tua terra vocat.
Hæc dum vota facit fluuius, Pater ipſe loquaces
  Caſtigans tacitas ire iubebat aquas.

Narniæ vota, & apparatus pro reditu Diui CASSII.
O D E.

CEu quem remoti littore Memnonis
  Lucro ſtudentem de patrio ſolo
    Suſpirat abſentem relicta
      Mater, & aſſiduis querelis
Auras fatigat. Ponite flamina,
  Exclamat, iras; ne niger Africe
    Per regna Neptuni liquentis
      Compoſitæ Thetidis ſupinum
Rumpas ſoporem. Qui reducem lari
  Reddet paterno nauita filium
    Inſanientem vndam procellis
      Nauiget indomito phaſelo;
Nati nigrantem fronte Hyperionem
  Delere caris iam parat oſculis;
    Votisque feſtinat morantem,
      Si qua premat vnda ſalſa, pinum.
Votis regreſſus haud aliter ſuis
  Vrget propinquos Narnia Præſulis
    Vndæque concinno fragore
      Nar virides glomerat liquores

Aræ Sabeis vndique nubibus.
Fumant; Lacænis mœnia veſtibus
Induta ſuſpendunt ſuperbos
Sydonij laticis rubores.
Arcus recuruo fornice pendulum
Emblema gemmis fulgurat aſperum,
Clarique conſurgunt Myronis
Progenies, ſimulacra Cælo.
Sparguntur vndæ Coryciæ vijs,
Nymbique florum compita contegunt,
Feſtaſque Vulcani per iras
Suppoſiti tremit vnda Naris.

De tumulo Diui CASSII.

O D E.

O Quæ ſepulchri carmina teſtibus
Inſcribo ſaxis, non humilis lyræ
Obſcura ſit laus, ſed canendi
Sunt numeri grauiore plectro.
Me tollat alis Meoniden ſuper
Apollo, Diues nectare viuido;
Lymphaque fæcunda ſonorum
Barbiton immadeat Camenæ.
Vrbem reuerſum dicere Caſſium
Et lemma buſto ponere ferueo;
Quo recumbunt quæ ſuperbo
Præſulis exuuiæ verendæ.
Hinc inde Plebes agmine fluctuans
Per templa ſaxo carmina perlegat
Inſculpta, & acclinis ſepulchro
Oſcula congeminet Viator.
Hac mutus vrna viuit adhuc cinis
Votiſque præſtat ſe facilem pijs:
Ad buſta votiuas tabellas
Solliciti properate Ciues.

De Lucenſium pietate.

ODE.

QVò ventis raperis fama curulibus?
Bigas aerias iàm per Hetruriam
Vrge, quaue rigat iugera fertilis
Aeſar fluctibus aureis.
Illic nam rigidi puluere ſordidos
Martis, Cecropij iurgia Socratis
Sectantes, madidos fonte biuerticis
Pindi reperias viros.
Sed non hos Populis murmure prædices,
Nec plauſus veteres, quos tumuli premunt.
Heroum haud iubeas nomina viuere
Feſtis clara fragòribus
Verùm ſit Pietas, quam lituo canas
Aedem per geminam Solis, & vltimam
Peucen, Theutonicus quam famularibus
Iſter fluctibus alluit.
Hanc teſtata ſui Narnia Præſulis
Aduentu, geminat vocibus vndique
Aſſenſu nemorum: ſæpe loquacibus
Vndis Nar quoque concinit.
Lucenſes Pietas excolit arbitra
Mores, cui Socio fœdere iungitur
Libertas: gladios altera vindices,
Lances altera ſuſtinet.

In reditu Diui CASSII.

ODE.

FEſtis fama iugalibus
Præcox Heſperiæ præterit Oppida,
Præceps ſternit iter rotis,
Et colles roſeo murice purpurat

Lætos vndique Caſſij
Spectantes reditus culmine ſupplici;
Valles carminibus chelys
Reſponſant tremula, molle fauonius
Vrget flamine ſtridulus
Pulſantis Citharæ multiloquos modos.
Crinitum radijs caput
Sol ridens roſeo promet ab æquore,
Supplex curribus aureis,
Suſpenſoque colet lumine Præſulem,
Et ſacras procul infulas
Lambet, mox pluuia defluet ignea
Lucis, ritè cadaueris
Sparſurus reducis viuida lipſana.
Nymbo depluat aureo
Aether, Nectareis ſydera fontibus
Rorent, aruaque florea
Intexant paribus ſerta laboribus,
Vectigalia Principi
Tellus multiplici fœnore porrigat;
Cælo marmora det Paros
In vultus memori vulnere Caſſij
Efformanda; ſacris niger
Flammis portet Arabs dulcia pabula
Fragrantes adolenda per
Aras, ſiue Tagi, quas tibi diuitis
Potor, ſeu Tigris incola
Gemmarum rutilo pondere congeret.

De fortitudine S. CASSII, qua Totilam Feroeientem continuit.

ODE.

Virile pectus cedere neſcius
Horror citatis diffugit ſedis
Turpique pallentum timore
Terga premit, ſtimuliſque cædit.

Ru-

Rupes procellis ingemit obuia,
Et murmuranti turbine tunditur,
Montes procelloſos ſtruente
Oceani refluentis Euro.
Immota ſalſos expuit impetus,
Regnique vanas Eolij minas
Irridet, & frangit ruentes,
Aequore conglomerante, fluctus.
Conſtantis hoſpes pectoris; inclita
Virtus, cruentos ore ſatellites
Ridente deſpectat, nec enſem,
Aut rigidos metuit Tyrannos.
Muros aheno barbarus ariete
Quaſſet labantes; robore Caſſius
Firmabit ingenti, potentem
Heſperiam populante Gotho.
Vrbi minantem funera Principem,
Et fulminantes ille mucronibus
Exterret aſpectu phalanges,
Quas acuit rabies in hoſtem.
An non furentes frangeret impetus,
Ac ſæua præſens fulmina vinceret
Aeris tonantis, quem rubentem
Tartareæ timuere vires?
Eludit Heros dira pericula;
Quem firma Virtus protegit Aegide:
Exarmat armatos furentes
Quod placido iubar ore fulget.

Ad Famam de reditu Diui CASSII

ODE.

QVate, pennas, preme molles pede nymbos,
Et amæno famulantum comitatu
Age, Caſſi rediuiuas fere laudes redeuntis.

Glacialis ſuper alas Aquilonis
Agè Thuſcæ iuga terræ ; Dea , viſe
Moderatrix animorum , decus æui fugientis .
Age Lucam crepitanti cane cornu ;
Reboantis ſonus aeris volet aura
Garamanthum ſuper oras , ſuper aras Nabatheas .
Iuga plaudant , Tyberinæ ſata ripæ ;
Famuletur Tagus auro fluuiali :
Iubar Vrſæ glaciatum face plaudat Boreali ,
Properantis graue Naris cane murmur ,
Et amores ſociatos populorum :
Modulantis vice plectri canat Orbis , canat Aether.

Diuo CASSIO Templum erigitur.

ODE.

CAelo propinquam Narnia Caſſio
Attolle molem . Terra ligonibus
Decreſcat ad manes profundos ,
Et ſtygij fera regna Ditis
Recluſa pandant ora voraginis:
Pulſura læthen Tænaream baſis
Sylua columnarum ſub alta
Sudet & impoſiti laboris
Niſu prematur . Stent Mareotica
De rupe poſtes , nobile Tænarus
Sternat pauimentum , virentes
Quod maculis imitetur herbas.
Hi nc inde ſaxi frigora Punici
Aeſtus anhelent . Regia deſuper
Stellis coronandum propinquis
Nec ſuperis caput inuidendum
Teſtudo tollat . Seriadum labor ,
Et cura , muros Dædala veſtiat
Epota ſidonem ſupellex ;
Et Tyrio ſaturata fuco

Flaueſcat auro. Sed ſuper omnia
Gemma ſepulchrum dite ſuperbiat,
Nuperque Caſſi reſtitutis
Pulucribus cumuletur aurum.
Tu non vocari difficilis pias
Admitte buſtis interea preces,
Templisque iam nunc deſtinata
Munera muneribus repende.

Naris plauſus propter Diui GASSII *aduentum*
O D E.

IBat ſilenti Nar pede candidus
Per læta pinguis littora Narniæ:
Rupere cum gratam quietem
Inſoliti per inane plauſus,
Et geſtientum murmura Ciuium.
Frænauit vndas, & vitreo arduus
Emerſit antro: Vix triumphi
Innocuæ patuere pompæ,
Quo rurſus vrbis mænia patriæ,
Et nota quondam littora Caſſius
Redibat, ò Ciues, beatos
Pergite, ait, geminare cantus:
Reſultet æther vocibus: Audiat
Quà pulſa mugit fluctibus Adriæ,
Quà monte vallatur niuali
Vmbria: Proſiliensque Diuum
Echo ſalutet: Nunc via floribus
Sternenda lætis, atque recentibus
Cingenda flammarum coronis,
Et Domus, aeriçque turres.
Non vana pando: ſydera largius
Tibi madebunt nectare, Narnia
Et rore Phæbus, pleniorque
Flaua Ceres adoleſcet agris.

Tibi redibunt aureā ſæcula:
Pax tuta ciues, canaque fœdere
Fides perenni nectet: abſint
Prælia, ſanguineæque fraudes.
Ibis per vrbes clarior Italas:
Te fama tanto pignore diuitem
Feret remotos vſque ad Indos,
Heſperiæ occiduosque tractus.
Quà fama ſparges nomina Narniæ
Lucæ celebres inclyta munera:
Auream canas gentem, ducesque
Munificos: Dominum Senatum:
Nec plura: nymphas conuocat, & choros
Immiſcet vndis: Concaua littora,
Vallesque, campique patentes
Vnanimi ſonuere plauſu.

Iubetur Nar venientibus Sancti CASSII Cineribus aſſurgere, Letitiæ ſigna dare, & Lucenſi Reipublicæ Gratias agere.

ODE.

ATtolle ripis Sulphureum caput,
Aſſuetus vndas frangere rupibus
Nar, Montis attriti ruinas
Inſiliens trepidante limpha.
Nunc læta fluctus Murmura: nunc ſonos
Arguta motu dent vada: limpidas
Ductura per campos, per vrbes
Letitiæ fluitantis vndas.
Cernis? Paternos Caſſius Aſtriger
Reuiſit agros; Per cineres ſuos
Inuectus Vrbi, naſcituros
Se clypeum facit in timores.

Aſſurge ripis lætus; Amabiles
Magni ſalutans exuuias viri,
Mirare Lucenſes amores
In viduam Genitore Gentem.
Quicquid ſuperbo flumine parturit
Ganges opimus: quotquot in vltimis
Natura terris exulare
Iuſſit opes toties nocentes:
Quotquot ſereno ſydera in æthere
Crines vibrati Luminis explicant:
Et quicquid exundans Erythra
Fert Thetidi, Pelagoque Dotem:
Vincuntur vno munere, quo tuos
Ditare alumnos Luca Potens amat,
Largita dono liberali
Diuitias Cineris Beati.
Iam flecte curſum Nar: vitreos pedes
Deflecte Lucam versùs, in æquora
Tyrrhena currens; & merenti
Fer vitreum Populo Tributum.

De ſepulcro Diui CASSII.
EPIGRAMMA.

DIue tuos cineres quod non complexa Corinthus,
Non gremio foueat diuite picta Paros,
Nil mirum: poſthac Populorum fida tuorum
Corda tibi tumulum, ne rapiare, dabunt.

Diuus CASSIVS occurrens Totilæ Narniam tuetur ab obſidione.

EPIGRAMMA.

EVropæ minitans inſani turbine belli
Barbarus Italiæ mouerat arma Gothus.

Quot

Quot calidi fuſo ſpumarunt ſanguine fluctus!
Quam multà latuit terra ſepulta nece!
Narnia ſola Gothis victrix non ſubditur armis,
Vulnere, totque inter vulnera, ſola caret.
Caſſius inſtantes vultu ferit obuius hoſtes,
Hoc mirere magis non potuiſſe mori.

Totilas S.CASSIVM ex Faciei rubore contemnens per fugatum ab Energumeno Malum Demonem redarguitur.

EPIGRAMMA.

PErfide quid rides, quem Tenareus trepidat Rex,
Quem triſtes Furiæ, quem ſtygis antra timent?
Non rubet ille Mero, quo tu maleſane caleſcis,
Ebrius à necibus, Ebrius ante neces!
Ora aliena tuo metiris. Sic videt vmbram
Læſus vbique oculus, quam vitiatus habet.
Eumenides facis ergo Pias: Reueretur Auerni
Fæx, quem tu ſpernis Barbare deterior.

S.CASSII Cineres reſtituente liberaliter Lucenſi Senatu, Gratiores Narniæ oſtenduntur.

EPIGRAMMA.

QVis te, mitratus quondam Pater, abſtulit Vrbi,
Quam Nar vicini fluminis ambit aquà?
Debuit ergo ſui cineres, atque oſſa Parentis
Queræere in externo Narnia mæſta ſolo?
Debuit. Abſenti magis illa probauit amorem;
Gratius, & donum reddidit ipſa ſitis.
Quòd ſi Donantem Dono præferre ſolemus,
Quale fuit munus Luca Benigna tuum!
Si tantum meruit Populi Lucenſis Amorem;
Obtinuiſſe minùs, quàm caruiſſe velit.

San-

Sancto CASSIO Antiſtiti propter Paſtorale munus Optime conuenit nomen Caſiæ.

Quę (iuxta Diuum Hieronymum) eſt arundo ad modulandum apta.

EPIGRAMMA.

Diuinæ Caſia eſt modulatrix fiſtula laudis,
  Et ridente hilares gramine reddit oues.
Dum prece Numen, oues mulcet dum voce magiſtra
  Caſſius, an Caſiæ munus habere neget?
Munus habet, qui nomen: erat, qui fiſtula, paſtor
  Idem, qui modulans, vas modulantis erat.
Proderat auditus, pariterque aſpectus ouili,
  Illo lætus erat grex, pauidusque lupus.
Stipatum myrrha, caſiaque Tonantis amictum
  Ieſſaæ reſonanr plectra canora lyræ:
Quam, Caſſi oblectas morum modulamine Numen!
  Tam propè, te ſpectat, quam prope, ſyrma ſuum.

Ad tumulum Diui CASSII Narniæ.

EPIGRAMMA.

Caſſius hac iacuit, ſed non iacet integer vrnà,
  Nam cineres duplex occubit arca ſuos.
Luca reuertentis veneratur lipſana votis,
  Atque eadem ſupplex Narnia buſta colit.
Scilicet Vrbs impar tanto ſtetit Vna ſepulchro,
  Vtraque communem debet habere Patrem.
Nunc rogus alternos animos animabit vterque;
  Vnus; & in tumulo duplice viuet amor.

Singularis Diui CASSII Sanctitas contempta à Totila Prodigio comprobatur.

EPIGRAMMA.

CAſſius igne micat ſuperum: Totilaſque Liæi
  Credidit in roſeis dona rubere genis:
Quem ſæuus ſpernit Princeps: mox tartara honorant,
  Sydereaque probant ora calere face.
Territa quippe timent vultus, & iuſſa loquentis,
  Et ſtygios repetunt voce coacta lares.
Iam ſupplex pleno radiantem numine frontem
  Rex colit, & mœſtis crimina delet aquis.
Quis putet? ex Erebo pietatem Barbare diſcis:
  Sic, Cæli Imperio, ſtyx docet eſſe pios.

In idem argumentum.

EPIGRAMMA.

INtima quid cordis condemnas Improbe? cordis
  Intima non Reges ſubdita, Numen habet.
Si ſatura innato fert Caſſius ora rubore;
  Prodiga quid vultu vina rubere putas?
Cenſueras meliùs mentis florere pudicæ
  Indicium malis quæ rubuere, roſas:
Iudicij pœnas en exigit vltor iniqui
  Rex Diuum: immitis de ſtyge tortor adeſt.
Tortor adeſt, nec abeſt qui te de vindice pœna
  Vindicet, ille genis Baccho obeunte rubens.
I nunc, & poſthac nimium, ſis, crede colori.
  Demere non bibuli eſt, ſed dare ſupplicium:
Mendaci eſt culpæ mendax, par pœna, ſatelles;
  Improbe iudicio diſce rubere tuo.

In idem argumentum.

EPIGRAMMA.

PRæſulis ora videns vultu Regnator iniquo,
Ore cruentatis non benè miſta roſis.
Quanta, ait, obtundit diram temulentia mentem,
Cui ſedet informi plurimus ore rubor!
Gothe ferox, ſi tanta tuo truculentia vultu
Inſidet, & tetris artubus illuuies;
Accipe quæ contrà, Te Iudice, vera repono:
Gothorum regem, quis putet eſſe hominem?

In idem argumentum.

EPIGRAMMA.

QVod tibi puniceos ſuccendat purpura vultus
Vinoſæ Totilæ crederis eſſe gulæ:
Sed contemptorem ſe decepiſſe Tyrannum
Armigeri caſus ſat docuere ſui;
Dum præit iſte etenim Domini metuendus in armis,
Miſceri ſtygio ſentit ab hoſte fibras.
Rex timuit; puerique fugas dum pectore peſtem,
Virtutem pluris diſcit habere tuam.
Sic tibi, quam nuper roſei color abſtulit oris,
Prodigio maior reddita fama venit.

In idem argumentum.

EPIGRAMMA.

VInoſum dicit Totilas, Bacchoque ſepultum
Rubrum ore, inſignem ſed pietate virum
Tuque iram ſtygii ſentis rabiemque Tyranni
Fide puer Domini crimine facte nocens,

Mil-

Mille tamen, Caſſi, nuper conuicia paſſus
Dæmona correpto corpore abire iubes
Qualis eris iuſtis ſi tam bene gratus iniquis!
Quid cultus facies, læſus, amansque, doces.

De corpore Diui CASSII.

Cuius partem Reſpublica Lucenſis Narniæ donauit.

EPIGR.

CAſſius in plures terras diſpergitur: Vno
Munera non poterant tanta iacere loco:
Sectus at in plures ſit quamuis, Narnia, partes,
In tua crede mihi munera totus erit.
Vrbs dedit, à Lucis quàm dicunt nomine: plura
Lux quamquam teneat lumine, tota nitet:

*D.*CASSIVS *E coniugali Statu in Epiſcopatum aſſumitur.*

EPIGR.

QVòd thalamo ereptum, veterique à coniuge, factum
Te iubeat, Caſſi, numen adire Pedum,
Quis ſtupeat meritò? tua dudum digna reponi
In thalamo virtus nobiliore fuit.

Peracto ſacrificio moritur CASSIVS

EPIGR.

CAſſius ad feſtas vix ſacra peregerat aras,
Seque grauem ſumpto ſenſerat eſſe Deo,
Cum laſſos obijt ſubito linquentibus artus
Viribus in fletu naufragus ipſe ſuo
Non ingrata aſtris, ſuperumque accepta parenti
Victima ſic cecidit, qui modo myſta fuit.

Vi-

Victima in hac gladio ſparſum ne quære cruorem;
Si quod vulnus habet Caſſius, intus habet.

Moritur anno reparatæ ſalutis 558.

EPIGR.

MAcnia polluto cæli Byzantia tractu
Et duram Thracen cæperat atra lues.
Hic titubante gradu pallentia membra trahebat,
Languidus in media deficit ille via.
Occidit ad ſacras ſubdito cum Caſſius aras;
Quà Nar ſulphureis per iuga ſerpit aquis.
Immiſſæ peſtis propius qui reſpicis iras,
Tu ne Byzanti Boſphore damna fleas.
Heſperiam lacrymæ, luctusque decebit, in vno,
Quàm tu, plus etenim perdidit iſta viro.

Diui CASSII Cineres cum primum Narniam aduenivnt, binas à malo Dæmone obſeſſas Mulieres liberant.

EPIGR.

TArtareis nuper poſſeſſa furoribus oſſa;
Atque artus acer verſat vtrinque dolor.
Fæmina dira hinc ſæuit, & hinc furit altera: vulgo
Terribiles referunt templa vlulata ſonos.
Deſpumant miſeræ & toruis obtutibus horrent,
Præcipitemque petunt in ſua damna fugam,
At Caſſi cinerum cuſtos ſimul aduenit vrna,
Intima viſceribus territa pæna fugit.
Non vnus torquet Cocyti dæmonas ignis;
Eſt illis Caſſi ſæuior igne cinis.

Narnia in reddito ſibi Diui CASSII *Antiſtitis ſui Corpore fælicitas.*

EPIGR.

NArnia ſulphureæ vallata liquoribus vndæ,
Atque tui felix fertilitate ſoli,
Depoſitum quam grande tenes, dum nobilis vrna
Regnato aduehitur non peregrina lari:
Cæleſti fluctu vallaberis, & magis alta
Naſcentem poteris fronte videre Diem:
Nam Sacer admotæ potatis roribus vrnæ
Nar fluet, oblitus iungere ſulphur aquis.
Quòque coronatis ſublimior oſſibus extas,
Hòc mihi feſtiuo plus adeunda gradu es.

Reipublicæ Lucenſi Narnia Gratiarum Actio.

VIx noſtras lacrymas audis, & grandia vota,
Nos ſubitò optato munere Luca beas.
Quid potius laudem? munus ne, an dantis amorem?
Munus amorem auget, munera, & auget Amor:
Tu ſolùm poteras tantum mihi tradere munus,
Tu ſolùm tanto munus amore dare,
Sum dono ingenti, ſumque impar Narnia amori,
Non illud pretium, non habet iſte modum.
Naud ingrata tamen, licet impar, dicar, vtriſque
Sat laudat, laudi qui negat eſſe parem.

Narnia Romæ ac Lucæ pares gratias reddit, illi qui dedit Epiſcopum, huic quæ ſacros cineres reddit.

DISTICHON.

REddis Luca Patrem, dederas tu Maxima Roma,
Vtra mihi maior? neutra; dediſtis idem.

Nar-

Narnia quid debeat Lucæ pro accepto S. CASSII corpore exponitur.

EPIGR.

INclita par regno gaudes Vrbs libera lucis
  Nomine, lux frænum non potis vna pati.
Id quoque lucis habes, radios quod prodiga fundis,
  Cui tanti, recipi, muneris eſt pretium;
Attamen hoc non lucis habes, lux namque cadente,
  Sole, iubar; nobis quod dedit, ipſa rapit.
Sed tua dona carent vice, vincunt munera lucis
  Et pretio, & radijs, nec peritura nitent.
Sunt etenim Caſſi cineres tua dona: quid vſquam
  Munera in hæc tempus; quid libitina valet?

Lucenſes, capta Narnia ſub auſpicijs Philippi Galliarum Regis D.Caſsij corpus in prædam accipiunt.

EPIGR.

NArnia victa cadis; bacchatur in omnia Victor,
  Enſe petit Ciues, & petit igne domos.
Pertranſit vix buſta furor, cineresque ſepulti
  Vix non armatæ damna tulere manus.
Quid tamen hoc proſit? buſtis, quibus ira pepercit,
  Victoris pietas incipit eſſe nocens.
Victoris pietatem odi, ſi Narnia luges
  Rapta procul patrio Præſulis oſſa ſolo:
Inuidiam tamen ille diù tolerare recuſet;
  Et reddet patrio Præſulis oſſa ſolo,

EPIGR.

HEroum fæcunda Parens, virtutis, & Altrix,
Temperat & quæ ſe legibus ipſa ſuis;
Quæque viros profert & Palladis artibus aptos,
Martis, & imperijs, conſilijsque togæ;
Quos & Roma ſuo donandos cenſeat oſtro,
Atque ſui decoris ſentiat eſſe decus.
Nobilis ingenijs, fortis moderamine, & armis,
Tutaque diuina religionis ope.
Haud plures Vrbes hæc omnia, Luca ſed vna eſt.
Quod ſat erat Regni laudibus; vna tenet.

Octauius Auius Narniæ Epiſcopus Excellentiſſimæ Lucenſium Reipublicæ pro ampliſſimis donis gratias agit.

LVcenſes Proceres: magni ſpes ampla Senatus,
Et libertatis grande iuuenta decus:
Ingentes virtute Patres, Patrum æmula Proles:
Quæque potes leges condere Luca tibi;
En veſtris mea me donis, & honoribus auctum
Narnia iàm veſtro ex munere maior habet.
At tu Narniam habes, & me tibi Luca, nàm vtroſque
Efficiunt quæ das ſplendida dona, tuos.
Quale tamen decus hoc fuerit, tibi debeo quod me,
Quem tacita exigui nominis vmbra premit?
Id moris, decoriſque tibi; quod honoribus Vrbes
Obſtringis totas, muneribusque tuis.
Se totam æternum debet tibi Narnia, per te
Nam cui ſe totam Narnia debet, habet.

Illuſtriſſimo Domino Octauio Auio Narniæ Epiſcopo immortale Lucenſium munus Narniam reportanti.

PLAVSVS.

SAcro digna pedo mitrati dextra Parentis
 Fer, quod Diuino munere pondus habes.
Pondus habes toto pretioſius æthere: quamquam
 Mille ferat Stellas, Aſtraque mille rotet.
Mille rotet per nos ſoles. Permittimus. Vnus
 Mille etiam ſoles vinceret iſte Cinis.
Iſte Cinis Graue Pondus habet. Curuatus Olympi
 Hunc populus ferrent, Aligerumque Cohors.
Aligerumque Cohors laſſeſceret. At tua Præſul
 Geſtit in ingenti Pondere magna manus.
Magna manus, quamque ipſa minor miretur Athlantis
 Dextera, prodigio debilitata ſuo.
Debilitata ſuo non eſt tua Dextera Præſul
 Prodigio; Dignum Præſule robur habes.
Robur habes par ſacro oneri Vir maxime. Dignum
 Pondus: nempe manu eſt. Pondere digna manus.

Comparatione aliorum S. Caſſius Narnienſis Epiſcopus laudatur.

ELOGIVM.

Hiſtoriæ linguæ ſeculorum
Audite precantis imperiũ, quãdo preces, & Regibus imperit.
Hiſtoriæ ſilete Caſſios.
Vnus eſt Caſſius;
Narnienſis;
Fruſtra nominantur Stellæ, dum fulget Sol:
Et nomen pariter, & Aquas riui perdunt in Oceano.
Quis iactat Caſſium cæſo Cæſare Gloriantem?
Liberator eſt; ſed ſanguinolentus;
Dare potuit Libertatem, conſeruare non potuit,

Eam reguſtandā Romę dedit, vt reextinctā doleret acerbiùs.
Verus Patriæ Pater, noſter eſt Caſſius:
Extincta Narniæ per ipſum ſcelera, non reuiuiſcunt.
Accede Caligula, æterna caligine dignum nomen:
An non adhuc Caſſium times, per quem timere deſiuiſti
Interemptus?
Si redire inter nos poſſes, amare Caſſium poſſes,
Cuius exempla virtutum
Caligulam cogere poſſent, ne amplius eſſet Caligula.
Audio inter Romanos gemini nomen Caſſij, glorioſum:
Eorum qui Patres non Patres, Perduelles filios non filios
necauerunt
Præcipitio, fame & quod grauius ſupliciũ fuit, Iudice Patre;
Digni qui pios haberent natos, vel etiam nullos,
Quoniam tales habuiſſe, calamitas fuit.
Caſſius noſter felicior,
Qui et ſeruare Pios potuit, & Impios ſine morte delere,
Vertendo in Pios
Impijs pariter, & pijs, Pater Pius.
Pater, non Iudex:
Vt nec aſſurgere audeat Caſſius Prætor,
Reorum non Iudex, ſed Deſperatio.
Vide huius diſcrimen à noſtro.
Huius tribunal ſceleratorum ſcopulus vocabatur, quia erat.
Noſtri tribunal Caſſij, ſcelerum erat, & vocabatur Tribunal,
Diuino penè ſimile, in quo puniuntur ſcelera, ſcelerati
diliguntur.
Caſſius Cæſaris miles,
Glorioſè cæcutiens, hoc eſt ex Bello,
Fortis fuit.
Quot clypeo tela iacens ſuſtinuit? Centum.
Quem vulneratura! Pectus ſuum.
Quot rogo fortis ictus Narnienſis ſuſtinuit! Innumeros
Quo clypeo! Pectore.
In quem caſuros! In Ciues ſuos.
Quantò igitur illo fortior, qui non ſibi, ſed alijs Fortis fuit,

Proprij mercedem Periculi alienam quærens ſalutem!
Iam ſiletis hiſtoriæ. Ne ſileatis:
Dicite: Vnus eſt Caſſius,
Narnienſis
Si hoc vnum dicetis, nunquam eritis mendaces hiſtoriæ.

Lucæ Donum Comparatione Romæ, quæ Caſſium dedit Antiſtitem, oſtenditur.

ELOGIVM.

Cui debes magis Narnia Lucæ an Romæ!
Dedit vtraque Caſſium: hoc eſt omnia.
Roma viuentem dedit: Luca mortuum;
Sed immortalem Luca, Roma moriturum.
Dedit Roma, vt daret Antiſtitem,
Luca Defenſorem:
Patronum ab iſta, ab illa Patrem habuiſti,
Futurum Patrem dum ipſe viueret, futurum Patronum,
dum viueret orbis.
Niſi redderet Luca, amiſeras Patrem;
Nec habueras Patrem, niſi traderet Roma.
Romæ debes quod non cecideris: Baſim illa largita eſt;
Lucæ debebis quod non cades: donat ipſa Propugnaculum.
Verùm, quid iſta largitur præter Cineres?
Nihil: ſed dat Cineres Caſſij,
Et in Cineribus Caſſij, Caſſij amorem.
Suam Vrbem non tueri quis credat, qui partem ſui tuetur
in Vrbe?
Non amare Vrbem non poteſt, quam videt ſuam.
At Roma Caſſium dedit nondum inter ſuperos Regnantem,
Vbi glorioſum eſt Regnum quia venale.
Fateor: ſed Regnaturum dedit:
Imo etiam iam Regnantem; Regem ſcilicet ſui,
Regni genere nobiliſsimo, quia non hæreditario.
Neſciebat Roma, quis eſſet futurus; ſciebat tamen quis eſſet,

Sciebat Luca quis eſſet; Nobis tamen experiri dedit Quis ſit futurus;
Nempe tutela Populi, Robur Vrbis, Ciuium Gloria, Theſaurus.
Ignoro Narnia cui debeas magis: Vtrique debes maximè

E Coniugali ſtatu in Epiſcopatum aſſumitur CASSIVS.
ELOGIVM.

Deſiderante Epiſcopum Narnià
In eam ſedem à maritali thoro
Caſſius aſſumitur.
Thalamum nempè ſanctitatis gymnadem
Fecerat, in qua vſque adeo demùm
In virtutibus ſub Dei magiſterio
profecit,
Vt illi anguſta cœperit fieri.
Vidit cæleſtis magiſter ſui diſcipuli
In hac ſchola progreſſum,
Animumque ad ſublimiores
Scientias idoneum dudum.
Exemptus igitur prioris vinculo
Matrimonij, Narnienſi deſponſatur
Eccleſiæ, nunquàm vir magis,
Quàm cum eſſe vir deſijt:
Scilicet, quas in primo adeptus
Connubio fuerat,
Virtutum pompam explicuit in ſecundo;
Obſtupuit, quicùnque ignorabat,
Vndecunque portari ſecum
Sanctitatem poſſe,
Tantà preditum pietate Caſſium è
Thalamo ad Epiſcopatum venire;
Sperauitque ciuitas vniuerſa, non
Futurum niſi optimum,
Qui tam bonus, acceſſerat.

In Miſſa Sacrificio lacrymatur aſsiduè.

ELOGIVM.

Non ſat Deo fuit, vt diuini
Eloquij pabulo
Narnienſem gregem paſceret Caſſius;
Ipſe cæleſtis agnus tanti Epiſcopi
Nutriri lacrymis voluit, quoties
In altaris aream vocatus deſcenderet;
Nec parcum vnquam pretioſæ potionis
Antiſtes ſe præbuit: auarè illi
Non poterat pias vndas negare,
Quo vno iubente è cordis tellure
Eas proſilire non ignorabat.
Iamque anni circulus
Natalem Principium Apoſtolorum
Diem reduxerat;
Cum peracto ritè ſacrificio
In ipſis aris occubuit
Morbi ne, an vi amoris,
Incertum.
Noluit ea die cæleſtis agnus ab aræ
Paſcuis recedere, niſi Caſſius
Ponè ſubſequeretur, eique pro
Lacrymarum potu quotidiano
Promiſſos olim Samaritanæ latices
Propinaret demum.

Tranſeunti Narnia Totila Caſsius occurrit.

ELOGIVM.

Mirarer Caſsium Immaniſſimo Principi
Prodeuntem obuiam imperterritum,
Niſi ſcirem non poſſe in eodem

Morari animo charitatem,
Et Metum.
Creditarum ſibi amor ouium Epiſcopum
Noſtrum efficit coronatæ ſecurum
Crudelitatis.
Illas vt ab iſta protegeret, ſponte ſeſe
Tyranno in honorario manifeſtat
Occurſu;
Ab ipſa pauidi gregis formidine
Animum ducens.
Tuum poſt hac Antiſtitem quis,
Mercenarium dixerit Narnia,
Quando lupis occurrit intrepidus,
Non euitat?

S. CASSIVM Totilas vt temulentum contemnit.

ELOGIVM.

Aliena homines, quam ſua melius
Plerumque iudicant:
Quoties autem indicem vultum
Iudex animus ſequitur,
Noſtra perperàm iudicamus,
Deterius aliena.
In bonis iuxta, prauiſque
Fallax eſt vultus indicium;
In illis diſſimulat; Simulat
Probitatem in iſtis:
Hinc Princeps incaute, non ex vultu
Caſſij vita, moreſque
Fuerant arguendi,
Nec debuerat vt temulentus contemni,
Cui natura faciem ſine
Culpa, cum virtute
Charitas incendebat.

Sed rectius Totilas de tanto Antiſtite
Iudicium ferre didicit breui,
Præceptore Dæmone.
Ab eius enim Armigero,
Quem ſubitò inſederat;
Iubente Caſſio
Trepidus iſte cum fugeret;
Cognouit venerandum tandem,
Quem ipſe metueret Dæmon!
Vſque adeo praua de alijs
Iudicia fouemus maligni;
Vt ea in Nobis facere meliora
Vel ipſa prauitas poſſit.

In idem argumentum.

ELOGIVM.

Totila,
Qui in alijs animum metiris ex vultu,
Colori ne nimium credas,
Tua tibi ſuadent Imperatoris inſignia,
Non totum Tyrannum
Benè tegentia:
Sordet cor ſceleſtum ſub fronte gemmata:
Scelera purpurâ proteguntur,
Sed non teguntur
Caſſij color Virtutis eſt, non
Corporis:
Rubet ore Caſſius;
Quem tu exuiſti ille aſſumpſit
Ruborem:
Et rubere quomodo non videas omnia,
Qui omnia cædibus
Cruentaſti?
Sed lætum quod non mereris, hinc omen cape

Cæ-

Cæleſtem ignem,
Qui tibi abiret in fulmina,
Ille in amoris flammas
Detorſit:
Ignem tamen Cæli vt agnoſcas, infernum time;
Torquetur Ephæbus,
Vt tu metuas Tyranne;
Plecteris in famulo,
Vt alieno in ſupplicio tuum ſalubrius ſentias
Errorem:
Hinc alieno edoctus periculo diſce,
Quem ignem Impij
Metuunt Carnificem,
Quo pij fæliciter ſuccenduntur.

CASSIVS moritur anno aſſertæ ſalutis.
558

Annus quingenteſimus quinquageſimus octaus ſi bellorum
damna
Reſpicias, calamitoſus mortalibus
Fluxit:
Calamitoſiſſimus, ſi Caſſium
Morientem:
In vna iſtius morte plus tellus
Amiſit, quàm in reliquorum
Hominum Strage.
Eo obeunte, fulcimentum rerum
Dixiſſes labaſſe;
Sanctitatem nimirum,
Adeo; vt parentari Caſſio non potuerit,
Quin illi ſimul parentaretur.
Tantam Eccleſia Narnienſis Iacturam
Ea primum fleuit die,
Qua olim Chriſtiana Religio
Principum Senatus Apoſtolici
Mortem indoluit.

Suis

Suis in epiſtolis Paulus
Imitandum ſe mundo propoſuit.
Superſtes huic eſſe noluit Caſſius;
Seu, vt cui in toto vitæ
Decurſu
Similis fuerat, & in exitu
Foret;
Seu ne, quem imitaretur
Sublato, in ſe, aliquid
Exprimeret,
Quod illius non foret.

S. CASSIO Veſcouo di Narni ſouuiene à Poueri, e quotidianamente ſacrifica.

MADRIGALE.

CAſſio per te non ſuda
Sugl' Egittij telari incuruo fabro;
Ne sù l'inde maremme
Mennonie ſtille il ſol fermenta in gemme;
Pur la tua pouertade
D'ogn' egro Aſilo, à ſe nemica, e cruda
E' famelica cibo, ammanto è nuda.
Hor d'onde hà i ſuoi teſori!
Ah sò ben sò ben io, che ogni egro afflitto
Nelle tue man s'affida,
Regio talamo e ſoglio al vero Mida.

All' Illuſtriſſ. e Reuerendiſſ. Monſig. AVI. Veſcouo di Narni.

Si deſcriuono ſotto le finte allegrezze del fiume Nare le vere di V.S. Illuſtriſsima per il dono della Reliquia di S. CASSIO; Et vn rendimento di Gratie all'Eccellentiſſ. Republica di Lucca.

DEll' Ebano ſonante
Baci le corde d'or l'arco loquace,
Ecco che il Nare ondante
Erge nelle ſue riue archi di pace,
Del ſacro Hoſpite amante
Stende l'humide braccia, e oſſequioſo
China à piè di ſua tomba il ſeno algoſo.
Lunga ſtagion correa,
Che priuo del ſuo bene, i ſuoi criſtalli
Vedoui conducea
E gorgogliando dalle cupe valli
Trar ſoſpiri ſolea:
Già de i Liguſtri il vago honor diſmeſſo,
Funeſtaua i ſuoi crin l'atro cupreſſo
Speſſo da i chiari argenti
Lacrimoſi volgeua al cielo i lumi;
E di ſupplici accenti
Drizzaua aſſalto humile al Rè de Numi;
Da i garruli concenti
Tacean gl'augelli, e attonite le ſponde,
Immote vdian il ſuon, che vſcia dall'onde.
Ma poich' impietoſita
Il fior delle Città Lucca la bella,
Della ſpoglia gradita
A i deſiri gl'arriſe; ogni procella
Nuoua Iride di vita
Dileguogli di duolo, e in vn baleno
Reſe à criſtalli il ſuo natio ſereno.

Scoſ-

Scoſſe i liquidi ammanti
  Ebro di gioia, e nelle patrie riue
  Stampò l'orme ſpumanti
  Quell'ondoſo Monarcha; allor che priue
  Del ſuo ben l'onde erranti
  Più non mirò; Quindi con amoroſe
  Note del cor l'immenſo ardore eſpoſe.

Auanzi pretioſi
  Che foſte di gran ſpirto inclita ſede,
  Ecco ch'al fin pietoſi,
  De voſtri rai non mi ſdegnate herede;
  Vi bagio, e glorioſi
  Doppo eſiglio sì longo Io pur vi miro;
  E della pace inſiem l'aura reſpiro.

Altri di bionde arene
  Vanti nel ſen d'argento aurei ripoſi,
  E nelle ſpiagge amene
  Miri inalzare il crin cedri odoroſi;
  Che Io con ciglia ſerene
  Purche vicino ò mio Signor t'adori,
  Non inuidio à Nettuno i ſuoi teſori.

Mà à te de miei trofei
  O primiera cagion Lucca mi volgo,
  Alba prodiga ſei
  Dello ſplendor, che nelle braccia accolgo,
  Di Gloria i Mauſolei
  Erga la fama al tuó gran merto, e in tanto
  Non ti ſdegnar, ſe d'inchinatti hò vanto.

D'eterna Primauera
  Smaltati ogni dì più ridan tuoi campi,
  Ne di Stella ſeuera
  Soffian mai quiui i minaccioſi lampi;
  Sù la tua fronte altera
  Verdeggin nuoue palme, e i figli tuoi
  Serbino il fregio d'immortali Eroi.

Sù le regal tue mura
  Senza timor tua libertà paſſeggi
  Sempre viè più ſicura,
  E con l'eternità ſia che garreggi:
  Già già me n'aſſicura
  Col balenarmi alla ſiniſtra il Cielo,
  E de giuſti miei voti arride al zelo.
Se del Nar non loquace
  Febo di finger il gioir fù vago;
  Di tua gioia verace
  Auio del morto Sol viuente Imago
  Eſpreſſe i ſenſi; hor tace
  Il mio plettro, poiche troppo alto ſale,
  Se eſſer vuol di grand'alma à i ſenſi eguale.

Lodaſi da Monſignor Aui Veſcouo di Narni, il Signor Ottauio Carli, che ſcriſſe vn'Ode in occaſione della venuta di Monſignor à Lucca à riceuere il dono della Sacra Reliquia.

TAci Grecia bugiarda;
  Serraglio hai fatto il Ciel di mille moſtri,
  E qual Circe maliarda
  Sù i fonti di ſplendor cimmerij inchioſtri
  Verſaſte, e à i ſtupri delle tue Donzelle
  Donaſte premio il Ciel, premio le Stelle.
    Era forſe di pregi
Ignuda sì noſtra virtù, che ſolo
  Di que' ſtellati fregi
  Corona haueſſe vn bagio, e in Regia il polo,
  Ridendo delle sfere in ſogli aurati
  Ebrij di luce d'or vitij adorati?
    Carlo tù gl'eruditi

Fo-

Fogli ſol di virtù fai nido, e vere
  D'eccelſa gloria additi
  Pompe non frali, che cangiati in sfere
  Parmi quei lini, & in que'lini eter no
  Splender CASSIO qual Sole io ben diſcerno.
    Così del Serchio amico
Dormino ſu le ſponde herbette, e fiori;
  Ne di labro nemico
  Paghi tributo à i martiali ardori;
  Mà fra l'otio del Ciel lungi dall'armi
  Sia latte à i fiori, & Ippocrene à i carmi.
    Così da CASSIO ſgorghi
Sul canuto Areopago, e Zelo, e Senno;
  Ne mai diſcordia ſorghi
  D'auuelenata furia; ad ogni cenno
  Sia concorde pietà, che à noi diè quanto
  Gl'Ancilij al Tebro, & i Palladij al Xanto.
    Intanto Pelio, & oſſa
Co Giganti flegrei ſalir desìo;
  E con robuſta ſcoſſa
  Purgar il ciel d'ogn' impudico Dio;
  Et vnir Carli (oh ſe il mio cuor l'impetra)
  L'armonia delle sfere alla tua Cetra.

Si ringratia dal Veſcouo di Narni il Signor Leone Santucci delle lodi dal medeſimo dategli in vn' Ode.

SONETTO.

NAtura ingrati abborre. Vn ſol vapore
Con nembi di ruggiade il Ciel compenſa,
Di cui le goccie in bianche perle addenſa
Teti per farne al ſol pompoſo honore.
Per poche ſtille d'acqua vn regio core
Sparge à fiumi i teſor, regni diſpenſa;
Ne sì mendico alcun già mai ſi penſa,
Cui neghi anche la voce vn grato amore.
Saggio Leon del mio demerto il fato
Nelle tue lodi accumulate al dono
Eſſer mi sforza, e mi paleſa ingrato.
Mà ſe di grata voce ancora il ſuono
Muſa gentil mi toglie; ad eſſer grato
Nel mio tacere ancor forzato io ſono.

51

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſ. P. Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

Io. de Ang. Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

Z

1103, 12

99960191